



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 14. Ejusdem Mysterii punctum. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO. XIV.

De Christi Nativitate. Luc. 2.

Myft. punct. 3.

CONG. ut solet.

PRÆL. I. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ Cœlestis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo. Luc. 2.*

PRÆL. II. Imaginari sibi locum, in quo multitudo Angelorum convenit.

PRÆL. III. Petere gratiam, exemplo Angelorum tenerrimè amandi & laudandi Christum Regem nostrum, ex amore erga nos recens natum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus & contemplemur multitudinem illam militiæ Cœlestis, quæ statim agnovit Christum natum, quem cœcus mundus non cognoscebat.

INTEL. Contemplemur gaudium in illis Angelis, admirationem, venerationem, amorem erga puerum, omninò inflammatum. REFL. Si respiciamus languorem nostrum, satis patebit nos mundo esse similes, non Cœlestibus illis spiritibus.

VOL. Conjugamus nos cum illâ militiâ Cœlesti, illorum affectus æmulemur, & pariter excitemus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. De Patre Cœlesti scriptum est. Hebr. 1. *Et cum iterum introducit*

cit primogenitum in Orbem terra, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.

INTEL. Ratiocinemur Angelos quoque creatos esse ad eundem finem laudandi & reverentiam exhibendi, & serviendi Christo & Deo, ut salvi fiant: ideò Deus Pater, qui pro sua bonitate impellit, ut ad finem illum tendamus, dicit: *& adorent eum omnes Angeli Dei.* Et quia à fine hoc deflexerunt primi Angeli, ideò à salute exciderunt. REFL. Cogitemus, quod nobis quoque mandatum sit adorare Christum Deum. Nam non tantum de Cœlesti militia: sed de nobis, qui sumus militia terrestri scriptum est. Ps. 65. *omnis terra adoret te.*

VOL. Itaque associemus nos Angelis, & dicamus: *venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Ps. 94. Ploremus peccata nostra, quibus à fine discessimus, & meriti sumus cum malis Angelis damnari: *In nomine JESU omne genu flectatur Cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Phil. 2.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae Cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

INTEL. Perpendamus, quomodo Angeli, cognoscens mandatum Dei Patris, non tardaverint illud exequi: sed subito executi sint. REFL. Cogitemus, quàm tardi & pigri simus ad exequenda mandata, quæ Deus dat per superiores.

VOL. Accusemus nos, quod toties peccaverimus

contra Reg. Summ. 35. quæ vult, ut cum *magna celeritate spirituali gaudio, & perseverantiâ, quidquid nobis injunctum fuerit, obeamus. Statuamus meliora in posterum.*

COLLOQ. Ad Christum in præsepio positum, eum adorando, laudando, venerando, amando, & postulando gratiam pacis, & bonæ voluntatis, ut sine morâ, cum gaudio possimus ipsi servire, & vestigia ejus sequi.

MEDITATIO XV.

De Pastoribus. Luc. 2.

Myst. punct. 1.

CONG. De more.

PRÆL. I. Pastoribus revelatur Christi Nativitas per Angelum.

PRÆL. II. Imaginari sibi agrum, vel locum, ubi Pastores erant, cum suo grege.

PRÆL. III. Postulare, ut Nato Christo, in nobis nascatur amor erga ipsum, & studium imitandi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Et Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, & ecce Angelus Domini stetit juxta illos. Luc. 2.*

INTEL. Consideremus Pastores, vigilantes, ne lupus veniat, & devoret: Sic. 1. Petr. 5. monemur: *Vigilate, quia Adversarius vester diabolus tam-*
quàm